



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Ioannis Macherentini Societatis Iesv Theologi,  
Explanatio Catechismi Catholici**

**Macherentinus, Johannes**

**Colon., 1612**

Modus quotidie vtiliter audie[n]di missam.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39397**

adeo, nisi aut valetudo, aut graues occupationes me detineant, aut officio & obedientia maiorum prohibeat.

## II.

MODVS QVOTIDIE VTILITER  
audiendi sacrum.

**Q**uonam modo sacrum missæ officium audis?

Imitor sacerdotem sacrificantem, quia Confessione initio sumpto primum orat, ac deinde sacram scripturam recitat, quibus præmissis veluti iam paratus, hostiam offert salutarem, quam etiam ad extremum sumit.

*Quonam pacto id facis?*

*Præparatio.*

**P**rimò summa cum animi demissione & pietate vna cum sacerdote confessionem pronuncio generalem, absolutionem accipio, qua leuia peccata delentur, modo id fiat animo ad pietatem excitato. Deinde vique ad Sanctus lego vel dico pias quasdam orationes, vel rosarium, vel aliquid meditator de passione Christi pro animi affectu, vel denique ad ea, quæ à sacerdote leguntur, aduerto.

*Oblatio.*

Secundò à sanctus vsque ad Agnus Dei, offero vna cum sacerdote Deo patri hoc sacrificium, mecumque aliquid de passione  
Do-

Domini cogitatione percurro, vt de crucifixione, sanguinis effusione, & morte, quorum inter sacrificandum memoria renouatur. Deinde offero Christum passum & mortuum pro me, ijsque omnibus quibus id ex officio debeo, itaque Deum patrem rogo, vt hanc vnigeniti Filij sui mortem in meorum omnium delictorum remissionem accipere dignetur mihi que gratiam largiatur recte pieque viuendi, in virtute progressum faciendi, mea que omnia ad ipsius nominis gloriam & meam salutem conferendi; similiter & pro parentibus propinquis, preceptoribus, benefactoribus, ijsque omnibus, qui mihi aliqua sanguinis affinitate coniuncti sunt, & nominatim pro ijs, quorum mihi cura commissa est: neque pretereo vita functos, aut patriam aut Catholicam Ecclesiam, quin & pro ijs preces facio, qui me verbo vel opere læserunt, aut male erga me affecti fuerunt aut sunt: Si qua insuper necessitas Reip. aut cuiuspiam priuatæ personæ mihi nota sit, eam Domino commendo: In hoc sacrificio denique omnem sollicitudinē, curam & necessitatem Deo, qui solus omnes iuuare potest, commendo, per Iesum Christum filium suum mihi præsentem.

Tertiò ab agnus Dei ad vltimam vsque *Communio.*  
orationem, me ad spiritualem communio-

Ll 2 nem

nem præparo, Deumq; rogo, vt omnia mihi peccata condonet, meique cordis domicilium paret, & ab omni labe purget, illudque varijs virtutum floribus & peristromatibus exornet. Tandem summa cum animi demissione precor, vt per os sacerdotis in animam meam ingrediatur, me visitet, iuuet, peccata tollat, meque imbecillum corroboret, neque vnquam à me discedat. Postremò actis gratijs, & à sacerdote benedictione accepta, ad mea negotia in nomine Domini, me confero.

*Gratiarũ  
actio.*

## I I I.

QVARE QVOTIDIE SACRUM  
audis?

PRimò quidem cum in dies singulos diuinis beneficijs fruamur, æquum est, vt ei quotidie gratias, quam maximas possumus agamus.

2. Deinde quia ex fragilitate humana, quotidie in peccata labimur, & periculo semper expositi sumus mortiferè peccandi, & leuiter quidem commissa sacrificium misericordie obliterat, à lethalibus verò seruat: Est enim remedium efficax ad impetrandam Dei gratiam, dolenter præterita peccata confitendi, & deinceps ab ijs abstinendi.

Tertiò, datur gratia rectè viuendi, conferretur